



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Domitii Plati Societatis Iesv Theologi, De Domini
Nostri Iesv Christi Passione**

Piatti, Domizio

Coloniae Agrippinae, 1610

De Quarto genere, videlicet, obsecratione, seu interceßione, Cap.18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49474](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49474)

DE QUARTO GENERE COL-
loquiorum, videlicet, obsecratione
seu intercessione.

CAPVT VLTIMVM.

OBSECratio nihil est, quam alicuius rei per merita seu virtutes aliorum, puta sanctorum, & præcipuè Christi, petitio: nam vt facilius ea quæ petimus, à Domino impetremus, debet nostra postulatio confirmari, interpositione meritorum alterius, quæ, velut incitamenta quædam (vt ita loquar) moueant & inclinent ad nos diuinam misericordiam: qua ratione cernimus **DEVM** multas seruis suis gratias impertiri.

Quid sit obsecratio.

METHODVS autem, qua in obsecratione & efficaci petitione hac, ad vsum adhibenda nobis vtendum est, in his consistit:

Quomodo ad vsum adhibenda sit obsecratio.

I.

PRIMUM, vt fateamur ac protestemur nos esse indignissimos, qui propter peccata & miseras nostras aliquid à **DEO** impetremus.

II.

DEINDE, vt confugiamus ad diuinam misericordiam, quæ ex innumeris illius operibus, maximè Redemptionis nostræ mysterijs, à Christo nostri causa perfectis elucescit: adiungendo, si nobis postulata cõcedat, non modò saluari iustitiam eius,

sed etiam clarius refulsuram diuinam
 eius bonitatem. Hinc sequitur obsecratio
 ut nimirum ea quæ petimus, per summam
 illius bonitatem, per Christi merita, per
 preciosissimum illius sanguinem pro nobis
 effusum, & alia similia, flagitemus.

OBSECRATIONI adiungitur San-
 ctorum inuocatio, seu intercessio, præci-
 pue Beatissimæ Virginis MARIÆ, qua
 roganda erit per maternum erga nos a-
 morem, perque familiaritatem qua cum
 Christo seruatore filio suo usa fuit: S. Mi-
 chaelis Archangeli, Angeli custodis, & o-
 mnium Sanctorum in cælis degentium,
 eorum speciatim, ad quos singularem ha-
 bebimus affectum & deuotionem, ut preci-
 bus suis ea nobis impetrent, quæ per nos
 metipsum nos impetraturos diffidimus.

III. POSSVMVS denique speciatim ad singu-
 los Sanctorum ordines accedere, atque il-
 lis diuersas Ecclesiæ necessitates, methodo,
 quæ sequitur, commendare.

S. Michaeli Archangelo, vniuersalem
 totius Ecclesiæ protectionem Angelis tu-
 telaribus, locorum & personarum ipsis
 commissarum custodiam. SS. Patriarchis
 & Prophetis omnium Principum & Domi-
 norum defensionem. SS. Apostolis sum-
 mum Pôtificem, & vniuersum statum Ec-
 clesiasticum. SS. Martyribus omnes tenta-

ORATIONE MENTALI. 71

ros & afflictos. SS. Doctoribus & Pontificibus, peccatorum, hæreticorum, & infidelium conuersionem, omniumque, qui totis viribus ac studijs salutem animarum promouere contendunt, tutelam. SS. Monachis & anachoretis, religiosas familias & monasteria, & omnes qui Deo famulari, atque semetipsos totos ei consecrare cupiunt. SS. Virginibus & Viduis, omnes qui voto castitatis seu continentiae sese obstrinxerunt. SS. Confessoribus & Coniugatis, statum conjugalem.



FINIS TRACTATVS DE
Oratione Mentis.

E 4

DE